



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliarvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno CCCXLVII. ad annum CCCCI.

Parisiis, 1644

XXXVI. Vt presbyter chrisma non conficiat.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15256

XXXV.

Vt scenicis atque histrionibus, ceterisque huiusmodi personis vel apostaticis, conuersis vel reuersis ad Dominum, gratia vel reconciliatio non negetur.

16. qu. 6.
Presbyter
inconsulto
episcopo.

XXXVI.

Vt presbyter inconsulto episcopo virgines non consecret, chrisma vero nunquam conficiat.

XXXVII.

Vt clerici in aliena ciuitate non immorentur, nisi causas eorum iustas episcopus loci vel presbyteri locorum peruiderint.

XXXVIII.

Illud autem suggerimus, mandatum nobis, quod etiam in * Capuensi plenaria Synodo videtur statutum: non liceat fieri rebaptizationes & reordinationes, vel translationes episcoporum. Nam Cresconius Villæregiensis episcopus, plebe sua derelicta, Tubuniensem inuasit ecclesiam; & usque hodie commonitus, secundum quod statutum fuerat, relinquere eandem, quam inuaserat plebem, contempsit. Aduersus istum, quæ pronuntiata fuerant, confirmata quidem audiuimus: sed petimus, secundum quod nobis mandatum est, ut dignemini dare fiduciam, quo iam, necessitate ipsa cogente, liberum sit nobis, rectorem prouinciæ, secundum statuta gloriosissimorum principum, aduersus illum adire; ut qui miti admonitioni sanctitatis vestræ acquiescere noluit, & emendare illicitum, auctoritate iudiciaria protinus excludatur. Aurelius episcopus dixit: Ser-

De conse.
dist. 4. Non
licet fieri.